

Item quod deinceps omni tempore Decem Officiales Baliae Comunis Florentiae pro tempore existentes, & seu duae partes eorum aliis etiam absentibus, & irrequisitis, & non existentes Decem Baliae, Domini Priores, & Vexilliferum Iustitiae Populi, & Comunis Florentiae una cum officio Gonfaloniorum Societatum Populi, & Duodecim bonorum Virorum Comunis praedicti, & seu duae partes eorum aliis etiam absentibus, & irrequisitis possint semel, & pluries, & quotiescumque Deliberare, Ordinare, Providere, & Disponere de Gubernatione, Regimine, Immunitate, Exemptione, Oneribus, & Factionibus, Favoribus, Custodia, Gratiis, & Beneficiis dicti Comunis Casalis, & de Curia Hominum, & Personarum in genere, & in specie, & pro ut, & sic, & quoties voluerint, aut viderint convenire, & quod de his quae deliberarentur, ordinarentur, vel fierent vigore presentis Capituli in Civitate Florentiae debeat apparere scriptura, quae inde fiat per Scribam Reformationum Consiliorum Populi, & Comunis Florentiae, vel eius Coadiutorem, aut Commissarium, & non per alium quoquomodo.

Acta fuerunt praedicta in Civitate Florentiae in Palatio Populi Florentini in loco Audientiae dictorum Dominorum Decem Baliae praesentibus Ser Paulo Ser Landi Fortini, & Ser Martino Lucae Martini Notariis, & Civibus Florentinis Testibus ad praedicta adhuc vocatis.

Simon Fabbrini Minister Archivii
Palatii Civitatis Florentiae.

NUM. XIII.

*Sommisione di Bibbona alla Repubblica Fiorentina.
Ex Libro inscripto Comitatus Pisarum a c. 147.*

CAPITULA COMMUNIS BIBBONIS.

IN DEI NOMINE AMEN. Anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi Millesimo Quadragesimo Sexto, Indictione quinta decima secundum cursum, & Morem Florentinorum, die quarto decimo Mensis Januarii Magnifici, & potentes Viri

Bartolus Jacobi Banchi — — — — —	}
Ridolfus Pauli Lotti — — — — —	
Antonius Domini Luce de Panzano — — —	

Cionacius Francisci Baroncelli — — —

Jo-

Johannes Johannis Aldobrandini — — — — —
 Miniatus Dini Coreggiani — — — — —
 Ceccus Ducci Cecchi Fei — — — — —
 Gerorzu Francisci de Aleis — — — — —

Cives honorabiles Florentini Octo de Decem Baliae Magnifici , & Potentis Comunis Florentiae absentibus Piero Johannis Firenzis , & Thomaſo Dominici de Oricellariis eorum Collegis simul Congregatis in eorum Audientia audita , & intellecta Submissione de praesenti Mense Januarii facta supradicto Officio Dominorum Decem Baliae recipiente pro dicto Comuni Florentiae de Comuni Bibbonis de Maritima Comitatus Pisarum , & de Curia , & Pertinentiis , Hominibus , & Personis dicti Comunis Bibbonis in perpetuum per Chellinum Neri de dicto Comuni Bibbonis Sindicum , & Procuratorem , & Sindacario , & Procuratorio nomine dicti Comunis , & etiam vice , & nomine dicti Comunis Bibbonis . Et audita , & intellecta receptione facta per dictos Dominos Decem Baliae eorum Officio recipientes pro dicto Comuni Florentiae , & ejus vice , & nomine cum Exemptionibus , Immunitatibus , Liberationibus , Gratiis , Honoribus , Favoribus , & Beneficiis , & Capitulis , Partibus , & Articulis , de quibus pro ut , & sicut semel , & pluries , & quotiescumque provisum , ordinatum , deliberatum , & dispositum fuerit per Officium ipsorum Dominorum Decem Baliae , vel eorum successores , aut duas partes eorum . Et auditis Supplicationibus , & Postulationibus factis pluries , & per ipsos Sindicatos , & Mandatarios , & pro parte dicti Comunis , & Homines , & Personas eorundem . Et attendentes quod dictum Comune , & ejus Curia non propter suum defectum nunc , & non prius venit ad Obedientiam Comunis Florentiae , cum ut afferuit dictus Sindicus post quam Comune Florentiae habuit Dominium Civitatis Pisarum , Homines dicti Comunis fuerunt semper parati obedire Comuni Florentiae , sed non fuerunt permissi , & postea qui eos tenebat Rebellavit contra Comune Florentiae . Et volentes ipsi Comuni , & ejus Curiae , & eorum Hominibus , & Personis , & pro ut infra scribere Gratias facere de Gratia speciali , & ut recognoscant Comune Florentiae esse suum Dominum , habita super his ad invicem deliberatione solemni vigore Auctoritatis , & Potestatis eis concessae , & competentis , & omni modo , via , causa , & forma , quibus melius , & efficacius potuerunt , providerunt , ordinaverunt , deliberaverunt , & disposuerunt omnia , & singula infrascripta videlicet .

I. In primis quod dictum Comune Bibbonis cum ejus Curia , Territorio , Hominibus , & Personis in perpetuum intelligatur esse , & sit sub Dominio , Obedientia , Regimine , Imperio , & Gubernatione dicti Magnifici Comunis Florentiae , tanquam eorum unici , & veri Do-

ri Domini, & ipsi Comuni Florentiae, & non alii debeant legaliter & fideliter obedire prout veri Subditi, & Comitativi Comitatus Florentiae in omnibus tractentur, reputentur, censeantur, & sint.

II. Item quod dictum Comune Bibbonis cum suis Hominibus & Personis intelligatur esse, & sit exemptum, liberum, & immune per tempus duorum Annorum inceptorum die Octavo presentis Mensis Januarii, quo die fuit facta Submissio per Sindicos Supradictos ab omnibus, & Singulis Datiis, Prestantiis, Impositis, Gravedinibus, & Factionibus quibuscunque realibus, & personalibus, & ordinariis, & extraordinariis, & mixtis, & pro ipsis non possint, vel debeant gravari, vel aliqualiter molestari in persona, vel bonis quoquomodo, & quid quid contrafieret, sit irritum, & inane, & de facto revocetur. Salvo tamen, & excepto quod praedicta Exemptio liberatio, & Immunitas non intelligatur pro Gabella Portarum, & ejus membris, nec pro his quæ facerent, vel contraherent extra dicta loca.

III. Item quod dictum Comune Bibbonis, & ejus Homines, & Personæ, vel aliquis ipsorum non possint, nec debeant quoquomodo gravari, exigi, vel molestari in persona vel bonis durante tempore Exemptionis dictorum duorum Annorum proxime venturorum, inceptorum die Octavo presentis mensis Januarii tunc suprascripto, salvo pro aliquo debito hactenus contracto vel facto ante dictam diem Octavam presentis Mensis Januarii quoquomodo cum aliqua singulari persona, & seu ad quod pro tempore tunc praeterito tenetur alicui singulari personæ, & sic plis cuilibet eorum possit, & debet effectualiter observari. Nec in praedictis salvo, & excepto, quod non obstantibus praedictis praedictum Comune Bibbonis, & ejus Homines, & Personæ possint exigi, & gravari pro eo quod declaratum fuerit per Officium Decem Baliæ, & ipsum Comune, & seu ejus Homines, & Personas, vel quoscunque ex eis deberi dare Filio, vel Filiis Comitis Arrighi della Gherardesca. Ita tamen quod per hoc ipsum Comune, Homines, & Personæ habeant terminum ad solendum, id quod declaratum fuerit, medietatem per unum annum ante declarationem, & aliam medietatem per aliud annum post proximum futurum,

IV. Item quod dictum Cumune Bibbonis, & ejus Curia, & eorum Homines, & Personæ intelligatur esse, & sit exemptum, absolutum, & plenissime liberatum ab omnibus, & singulis Debitis, ad quæ pro tempore praedicto dictum Comune Bibbonis, & ejus Homines, & Personæ, vel aliquis eorum tenentur Comuni Pisarum, & pro aliquo tali Debito teneri non possint, nec debeant gravari, vel aliqualiter molestari.

V. Item quod dictum Comune Bibbonis, & Homines, & Personæ dicti Comunis pro tempore Trium Annorum proxime venturorum habeant, & habere debeant de Salina a Comuni Florentiæ, & seu ejus Officialibus in Civitate, aut Comitatu Vulterræ videlicet unam Quartam Salinæ pro qualibet Testa, & qualibet Anno, & solvantur denarii sex pro qualibet libra dictæ Salinæ, & sic debeat dictum Comune Florentiæ accipere, & eis possit, & debeat dari, & sic effectualiter observari durante dicto tempore trium Annorum, ut superius dictum est.

VI. Item dictum Commune Bibbonis cum suis Hominibus, & Personis debeant pro Comune Florentiæ omni tempore benigne, & gratiōse tractari, ut devoti Subditi, & Servitores ipsius Comunis Florentiæ, & considerato quod omnes Homines, & Personæ dicti Comunis Bibbonis fuerunt depredati, & derobati, & etiam certi ipsorum fuerunt interficti.

VII. Item quod dictum Comune Bibbonis elapsis dictis duobus Annis dictae eorum Exemptionis teneatur, & debeat solvere, & pagare Comuni Florentiae, seu Camerario Camerae pro ipso Comuni Florentiae, seu Camerario Camerae pro ipso Comuni recipienti pro eorum taxa illam quantitatem pecuniae, de qua deliberatum, ordinatum, seu taxatum fuerit semel, & pluries, & quoties voluerint, & sub illis terminis, & pagis per Magnificos, & Potentes Dominos Piores Artium, & Vexilliferum Iustitiae Populi, & Comunis Florentiae una cum Officio Gonfaloneriorum Societatum Populi, & Duodecim bonos Viros dicti Comunis, & per duas partes eorum aliis absentibus, & irrequiuitis, de qua taxatione fiat scriptura per Scribam Reformationum Comunis Florentiae, vel eius Coadiutorem, & non per alium.

VIII. Item quod Gabella Vini, & Macelli, & aliæ Gabellæ solitae esse in dicto Comuni Bibbonis sint, & esse intelligantur dicti Comunis Bibbonis pro dicto tempore duorum Annorum eorum Exemptionis, & ad ipsum Comune pertineant, & expectent pro ipso tempore.

IX. Item quod omnia, & singula Bona, mobilia, & immobilia, ac iura, quæ pertinerent ad ipsum Comune Bibbonis, & seu ipsius essent, & quæ quocunque modo fuissent occupata, vel indebite tenerentur per quemcunque cujuscunque gradus, status, vel conditionis existat, debeant illoco restitui, & libere relaxari ipsi Comuni Bibbonis. Et insuper etiam quod ipsum Comune Bibbonis possit, & si bi liceat etiam propria auctoritate ipsa bona, & iura recuperare, apprehendere, & capere, tenere, possidere, usufructare, & exinde ut de propriis facere velle suum, & ad prædictum debeat ipsi Comuni

40

munis Bibbonis dari auxilium , & favorem per quoscunque Officiales Communis , & pro Communi Florentiæ , & quemlibet ipsorum .

X. Item quod dictum Comune Bibbonis possit exigere , & exigi facere per se omnem pecuniam , & rem quæ sibi debetur a quacunque de Causa , & in hoc detur si favor , & auxilium ut supra .

XI. Item quod Pasturæ Bibbonis , & Prateriæ , quæ ad ipsum Comune Bibbonis pertinerent , prout hactenus pertinebant , & cum eisdem juribus , & non cum maioribus , vel aliis , & in eorum iuribus , quæ habent in dictis Pasturis non debeant impediri , vel molestari .

XII. Item quod quaelibet persona dicti Comunis Bibbonis , quæ inde recessisset , possit redire , & habitare in dicto Communi Bibbonis , & tenere , & possidere omnia sua bona , etiam si sibi fuissent occupata quacunque Causa .

XIII. Item consideratis Guerris præteritis , & damnis , & molestis receperis per Homines , & personas dicti Comunis Bibbonis . Quod ipsi Homines , & Personæ , vel aliquis ipsorum non possint , nec debeant conveniri , exigi , vel gravari in persona , vel bonis pro aliquo Affictu , sive Censu , pro quibus quoquo modo tenerentur pro tempore præterito Domino Archiepiscopo , & quod aliquis Rector , vel Officialis non possit , nec debeat pro prædictis facere , vel inferre , aliquam molestiam , vel gravamen , & quod ipsi Homines , vel Personæ de , & a prædictis intelligantur liberi , & absoluti .

XIV. Item quod dictum Comune Bibbonis , & Homines , & Personæ dicti Comunis intelligantur esse , & sint absoluti , & plenissime liberati ab omnibus , & singulis Condemnationibus , & Bamnis hactenus factis pro quibuscunque Malaficiis , & Excessibus in Civitate vel Districtu Florentiæ , aut in Civitate Vulterræ , aut in Civitate , vel Districtu Pisarum , & pro ipsis Condemnationibus , & Bamnis non possint , nec debeant capi , detineri , aut aliqualiter molestari in persona , vel bonis quoquo modo , & nullam executionem dictæ Condemnationes , & Bamna habere possint .

XV. Item quod dicti Homines , & Personæ de dicto Comuni Bibbonis , & ejus Curia intelligantur esse , & sint absoluti , & plenissime liberati ab omnibus , & singulis Maleficiis , Excessibus , & Delictis hactenus commissis , & perpetratis , etiam quomodo cunque gravibus , vel gravissimis , & propterea non possint , nec debeant accusari , denuntiari , condemnari , puniri , vel molestari , & quidquid contra fieret sit irritum , & inane , & de facto revocetur .

XVI. Item quod dictum Comune Bibbonis . & Homines , & Personæ dicti Comunis teneantur , & debeant non obstantibus prædi-

dictis, & infra scriptis facere omni tempore pro Comuni Florentiæ Exercitus, & Cavalcatas ad mandatum dicti Comunis Florentiæ, & Suorum Officialium, sed semper debeat haberi consideratio ad possibilitatem ipsius Comunis, & secundum Eorum possibilitem, ad hæc omni vice procurantur, & non ultra.

XVII. Item quod dictum Comune Bibbonis in signum Obedientiæ, & Subiectionis debeant deinceps in perpetuum quolibet Anno facere per Eorum Sindicum offerre die Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ de Mensæ Iunii in Ecclesia Sancti Iohannis prædicti de Florentia ut moris est, & in similibus observatur unum Palium de Serico valoris ad minus Florenorum Octo Auri, & in his debeat observare sub Pæna Librarum Quingentarum Florenorum Parvorum pro qualibet vice Comuni Florentiæ applicanda, in qua aliquid de prædictis observetur.

XVIII. Item quod dictum Commune Bibbonis possit semel, & pluries, & quandocumque, & quotiescumque sibi, & pro ipso, & in ipso Comuni facere Statuta, & Ordinamenta pro Regimine, & Gubernatione Ipsorum Hominum, & Personarum pro causis Civilibus, & Criminalibus, quæ Statuta, & Ordinamenta non valeant, nisi postquam approbata fuerunt in Civitate Florentiæ per Magnificos Dominos Dominos Piores Artium, & Vexilliferum Iustitiæ Populi, & Communis Florentiæ & Gonfalonierios societatum Populi, & Duodecim bonos Viros Comunis prædicti, vel duas partes Eorum aliis etiam absentibus, & irrequitis, vel alias Cives Florentinos quos ad hæc semel, aut pluries deputaverint, & quod per Ipsos Dominos Piores, & Vexilliferum Iustitiæ, & Eorum Collegia prædicta, & duas partes Eorum aut alii Cives qui deputati fuerint possint dicta Statuta, & Ordinamenta, & quomodo ~~de~~ Eorum in totum, & in partem Approbari, Reprobari, & Casari, & eis addi, Detrahi, & Mutari, & nova Capitula fieri prout, & quoties voluerint, & cum illis modis, limitationibus, & Exemptionibus, mutationibus de quibus Eis, vel duabus partibus Eorum videbitur. Et quod de approbatione, & de omnibus faciendis vigore præsentis Capituli in Comitatu Florentiæ debeat apparere scripture, quæ inde facta fuerit per Scribam Reformationum Consiliorum Populi, & Comunis Florentiæ, vel ejus Coadiutorem, & non per alium, & alias non valeant.

XIX. Item quod deinceps omni tempore Decem Officiales Baliae Comunis Florentiæ pro tempore existentes, & seu duæ partes Eorum aliis absentibus, & irrequitis, & non existentes Decem Baliae Dominorum Priorum, & Vexilliferi Iustitiæ Populi, & Comunis Florentiæ una cum officio Gonfalonierorum Societatum Populi, & Du-

decim bonorum Virorum Comunis praedicti, & seu duae partes Eorum aliis etiam absentibus, & irrequisitis possint semel, & pluries, & quotiescumque Deliberare, Ordinare, Providere, Disponere de Gubernatione, Regimine, & Immunitate, Exemptionibus, Oneribus, Factionibus, Favoribus, Custodia, Gratiis, Beneficiis dicti Comunis, & Ejus Curiae Hominibus, & Personis in genere, & in specie pro ut, & sicut & quoties voluerint, aut viderint convenire: Et quod de his quae Deliberaverant Ordinaverant, vel facerant vigore praesentis Capituli in Civitate Florentiae debeat apparere Scriptura, quae inde fiat per Scribam Reformationum Comunis Florentiae, vel Ejus Coadiutorem, & non per alium.

Acta fuerunt praedicta in Civitate Florentiae in Palatio Populi Florentiae in Audientia Dominorum Dominorum Decem Baliae praesentibus Ser Paulo Ser Landi Fortini, & Ser Martino Lucae Martini Notaris, & Civibus Florentinis, Testibus ad praedicta adhibitis, & vocatis.

§ §.

Item postea Anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi Millesimo Quadringentesimo Nono, Indictione Secunda die Vigesimo quinto Mensis Martii.

Nobiles, & Prudentes Viri.

Bernabas Johannis de Aleis	— — — — —	{
Rossus Pieri Rossi	— — — — —	
Ser Jacobus de Salviatis Miles	— — — — —	
Pierus Jacobi de Baroncellis	— — — — —	
Ser Bartholommeus de Popoleschis	— — — — —	
Nicolaus Nepi de' Spinis	— — — — —	
Jacobus Francisci Cambi	— — — — —	
Leonardus Sylvester Brigliarus	— — — — —	

Cives honorabiles Florentini Octo ex Decem Officialibus Baliae Comunis Florentiae, absentibus Nicolao Johannis de Uzzano, & Luca Manetti de Filicaia Eorum Collegis. Auditis Ambaxiatoribus supradicti Comunis Bibbonis dicentibus inter alia quod tempus Duorum Annorum Exemptionis ipsi Comuni Bibbonis concessae in Civitate Florentiae de suprascripto Mense Januarii Anno Millesimo Quadringentesimo Sexto finem habuit de Mense Januarii nunc proxime praeteriti, ac etiam finitum tempus securitatis a Debitis con-

cess-

cessae ipsi Comuni Bibbonis , & Ejus Hominibus , & Personis , & si-
militer de Gabella Vini , & Macelli , & etiam finitum tempus , &
dicentibus Damna per Eos in Guerra concepta . Et auditis Eorum
Petitionibus , & volentes ipsis Gratiam facere , praemisso , & cele-
brato secreto Scriptino , & obtento Partito ad Fabas Nigras , &
Albas secundum Ordinamenta vigore Autoritatis , & Potestatis Eo-
rum Officio supra concessae , & omni modo , Via , Causa , & Forma
quibus melius potuerunt , Providerunt , Ordinaverunt , & Delibera-
verunt omnia , & singula infrascripta , videlicet .

In primis quod supradicta Exemptio , & Immunitas concessa
ipsi Comuni Bibbonis , & Ejus Hominibus , & Personis pro Duobus
Annis finitis de Mense Januarii proxime praeteriti intelligatur es-
se , & sit de novo concessa , & ipsum de novo concederunt pro
aliis Duobus Annis , qui intelligantur habuisse initium die Octavo
Mensis Januarii proxime praeteriti , cum eisdem modis , effectibus ,
& conditionibus in suprascripto secundo Capitulo contentis .

Item quod Gabella Vini , & Macelli , & aliae Gabellae solitae ,
de in dicto Communij Bibbonis ipsi Comuni Bibbonis concessae , ut
supra patet pro Duobus Annis intelligantur etiam de novo conces-
sae , & sic concederunt ipsi Comuni Bibbonis pro alijs Duobus An-
nis qui intelligantur initium habuisse die Octayo Mensis Januarii
nunc proxime praeteriti .

Item quod tempus Duorum Annorum pro securitate a Debitis
concessum ipsi Comuni Bibbonis , & Ejus Hominibus , & Personis
ut appareat in Tertio Capitulo suprascriptorum Capitulorum in-
telligatur esse , & sit de novo concessum , & ipsum de novo conces-
serunt ipsi Comuni Bibbonis , & Ejus Hominibus , & Personis pro
tempore Trium Annorum qui intelligantur initium habuisse die
Octavo Mensis Januarii proxime praeteriti cum hoc tamen effectu
inter alia , quod quolibet Anno dictorum Trium Annorum debeant
solvere Terram partem Debiti , & deficiente s in terminis ex nunc
graventur , & non habeant securitatem ex tunc .

Item quod tempus Trius Annorum pro quibus ipsum Comu-
ne Bibbonis , & Ejus Homines , & Personae debent habere de Salina
a Comuni Florentiae , ut in suprascripto Tertio Capitulo de su-
prascriptis continetur prorogatur , & illud prorogaverunt pro tem-
pore Unius Anni finitis dictis Tribus immediate proxime sequuturi ,
& cum eisdem modis , & conditionibus in dicto Capitulo contentis .

Acta fuerunt praedita in Palatio Populi Florentini Civitatis
Florentiae in Audientia dictorum Dominorum Decem Baliae , pre-
sentibus Ser Martino Lucae Notario Florentino , & Francisco An-

44
tonii Praeceptore Officii Dominorum Priorum, & Vexilliferi Iustitiae Testibus ad praedicta adhibitis, & vocatis.

§ §.

Item postea Anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi Millesimo Quadragesimo Decimo, Indictione Quarta Secundum cursum, & Morem Florentinorum Die Decimo Octavo Mensis Februarii.

Nobiles, & prudentes Viri Domini Decem Baliae tunc in Officio Praesidentes, & in numero sufficienti invicem congregati in Palatio Populi Florentini Civitatis Florentiae in Audientia Eorum Residentiae pro Eorum Officio exercendo; Audito Ambaxiatore Communis Bibbonis de Maritima Comitatus Pisarum Subiecti Comuni Florentiae narrante inter alia in effectu quod tempus Exemptionis pro Comuni Florentiae dicto Comuni Bibbonis, & Suis Hominibus, & Personis concessae ultima vice suprascripto die Vigesimo Quinto Mensis Martii Anno Domini Millesimo Quadragesimo Decimo ut supra patet pro Duobus Annis finem habuit die Octavo Mensis Januarii nunc proxime praeteriti. Et quod propter Damna per Homines dicti Comunis Bibbonis recepta in Guerra facta, ut alias narratum fuit, & verum est dicti Homines, & Personae dicti Comunis Bibbonis adhuc non sunt potentes ad supportandum Onera, & ad solvendum dicto Comuni Florentiae pro ut deberent, & vellent. Et audita Supplicatione, & Petitione facta pro parte dicti Comunis Bibbonis & examinata per Officium ipsorum Decem Baliae hac materia ut dixerunt. Et habita super his ad invicem deliberatione Solemni, & praemisso, & celebrato inter Eos in numero ut dictum est sufficienti invicem congregatos Solemni, & Secreto Scriptineo, & ottento Partito ad Fabas Nigras, & Albas Secundum Ordinamenta virtute Auctoritatis, & Potestatis Eis concessae, & competentis, & omni modo, via, & causa quibus melius potuerunt, providerunt, ordinaverunt, & deliberaverunt. Quod supradicta Exemptio, & Immunitas ut supra concessa dicto Comuni Bibbonis, & quod finem habuit die Octavo Mensis Januarii nunc proxime praeteriti intelligantur esse, & sit cum salvo infrascribendo de novo concessa, & ipsam de novo Dederunt, & Concesserunt dicto Comuni Bibbonis, & Ejus Hominibus, & Personis pro tempore Trium Annorum, qui intelligantur initium habuisse die Octavo Mensis Januarii nunc proxime praeteriti, & exinde proxime futurum cum modis, conditionibus, & salvis aliis Ordinamentis, & etiam cum concessione Gabell-

bellarum ipsi Comuni , Bibbonis alias facta , ut supra patet . Et etiam pro dicto tempore Trium Annorum cum solita Concessione , & prae-
cio Salinae , ut in aliis Capitulis de Salina continentibus disponitur , & sicut alias ordinatur .

Hoc tamen salvo , & Ordinato quod non obstantibus suprascri-
ptis dictum Commune Bibbonis teneatur , & debeat Solvere Como-
ni Florentiae , & Camerariis Camerae Civitatis , & Comunis Flo-
rentiae quolibet , & pro quolibet Anno dictorum Trium Annorum
Libras Centum Florenorum Parvorum in duabus Pagis videlicet de
Sex Mensibus in Sex Menses dictorum Trium Annorum sub paena
Quarti Pluris Auri , quod in termino non solveret . Et pecunia pro
praedictis solvenda mittatur ad Cassam Conductae Camerae
Comunis Florentiae , & non ad alium Introitum , nec in alia Capsa
Mandantes suprascripta effectu aliter observari debita .

Acta fuerunt praedicta in Civitate Florentiae in Palatio , & Au-
diencia sopradictis , presentibus Ser Paulo Ser Landi Notario , &
Marco Niccoli Civibus Florentinis Testibus ad praedicta adhibitis ,
& vocatis .

§ §.

Item postea Anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi Mil-
lesimo Quadragesimo Tertio decimo , Indictione Sexta , Secundum
Cursum , & morem Florentinorum die Primo Mensis Aprilis .

Magnifinici , & potentes Domini Domini Piores Artium , &
Vexilliferi Iustitiae Populi , & Comunis Florentiae , una cum Officiis
Gonfaloniorum Societatum Populi , & Duodecim bonorum Virorum
dicti Comunis intellectis , quae coram Eis exposita fuerunt pro par-
te Communis Bibbonis de Maritima Comitatus Pisarum , & hodie
Comitatus Florentiae suprascripti continente in effectu , quod tem-
pus Duorum Annorum suprascriptorum pro quibus tertia vice E-
xemptio concessa fuit dicto Communi Bibbonis , ut supra patet fi-
nem habuit die Octavo Mensis Januarii nunc proxime praeteriti ,
& quod Homines , & Personae de ipso Comuni Bibbonis propter
Damna haec tenus recepta ut alias dictum fuit adhuc non sunt po-
tentia ad sublinenda Onera pro ut vellent , & essent Eorum inten-
tionis , quam bonam habent erga Commune Florentiae . Et audita
Supplicatione , & Petitione facta cum reverentia pro ipso Comuni
Bibbonis , & volentes dicto Communi , & Hominibus Gratiam de
novo facere habita super his ad invicem deliberatione Solemni , &
demum inter ipsos Dominos Piores , & Vexilliferum Justitiae , &

Gon-

Gonfalonerios societatum Populi, & Duodecim bonos Viros in numeris sufficientibus invicem Congregatos in Palatio Populi Florentini Civitatis Florentiae, praemisso, & celebrato Solemni, & Secreto Scruplino, & obtento Partito ad Fabas Nigras, & Albas secundum ordinem vigore auctoritatis, & potestatis Eis concesse, & competentis vacante Officio Decem Baliae, & omni modo, Via, Forma, & Causa quibus melius potuerunt, providerunt, ordinaverunt, & deliberauerunt, quod Exemptio, & Immunitas supradicta hactenus dicto Comuni Bibbonis concessa, & prorogata, & quae finem habuit die Octavo Mensis Januarii proxime praeteriti ex nunc intelligatur, & sit de novo concessa, & ipsam de novo dederunt, & concesserunt dicto Comuni Bibbonis, & Ejus Hominibus, & Personis pro tempore Trium Annorum qui intelligantur initium habuisse die Octavo Mensis Januarii nunc proxime praeteriti cum modis, & conditionibus, & falvis aliis ordinatis, & cum omnibus aliis Eis concessis, & de quibus superius continetur, & cum solutione etiam Librarum Centum Florenorum Parvorum facienda quolibet Anno Camerario Comunis Florentiae, ut in alia suprascripta continetur, & scriptum est.

Acta fuerunt praedicta in Civitate Florentiae in Palatio Populi Florentini presentibus Fratre Georgio Nuti Priore Hospitalis Sangalli, & Ser Iohanne Ser Viviani Notario, & Cive Florentino Testibus ad praedicta adhibitis, & vocatis. In quorum &c.

c. Simon Fabbrini Minister Archivii
Palatii Civitatis Florentiae.

NUM. XIV.

Sommisione di Donoratico alla Repubblica Fiorentina.

Ex Libro Comitatus Pisarum a c. 198.

CAPITULA DONORATICI.

IN DEI NOMINE AMEN. Anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi Millesimo Quadragecentesimo septimo Indictione Quintadecima secundum cursum, & morem Florentinorum die Decimo Mensis Februarii.

Ma-